

25.

Q. D. B. V.
INGRESSUM
CLIMACTERICI MAGNI
HONORATISSIMO

PARENTI SUO
DNO. ELIÆ VVEISIO,
GYMNASII ZITTAVIENSIS
COLLEGÆ TERTIO PER ANNOS
XXXII. MERITISSIMO,

Ipso Eliæ die Styl. Nov.


Anno M DC LXXI.
faustum ac felicem esse

precatur

M. CHRISTIANUS Weise
In Illustri ad Salam Augusteo
Polit. Eloqv. & Poës. Prof. Publ.

LEUCOPETRÆ,
Literis HILDEBRANDIANIS,

42



Est quidem mortalium mortalitas,
Ut semper incepisse CLIMACTERIUM
Videantur, & mortis subinde cœcitas
Septena vix moretur hæc mysteria.

Sed interim mirantur experientiam,
Quos nescio quis siderum lusus capit,
Ut quantitati reddere efficaciam
Conentur & Numeris notent Tempus suis.
Habet suas Phœbe vicissitudines,
Plantasq; nec fixis modo imperiis premit;
Sed imminet quoq; vertici viventium:
Et adde quod Natura mutari cupit
Septemq; raro annos sibi similis manet,
Ac inde quædam profluit necessitas,
Variare quæ stato solet vitam die.

Sanè quod ista nunc ago curatius,
NATALIS ô PATER redux facit Tuus,
BIS SENA qui duabus auges messibus
Tua LUSTRA, nunc bene additurus tertiam.
O si liceret brachiis junctum Tuis
In fausta tandem vota me resolvere,
Lingvamq; tanto tradere officio meam!
Ast utriusq; nos tenet provincia
Nostræq; spartæ rara dantur otia

SA.

SALA ergo jam tacitis favet suspiriis,
Quæ NISSUS exciperet, *PATER*, jucundius.

Sed dic quibus cunctos dies sudoribus,
Noctes quibus molestis consumpseris:

Aurora quando prima non vigilem videt?

Affulget aut quietius meridies?

Aut incidit nullo labore vespera?

Aut sera nil restare nox pensi notat?

Divisus in juvenum Scholæq; commoda

Vix horula partem Tibi relinqueris.

Sic sic juvat Deo Reiq; Publicæ

Offerre plenas sanctitate victimas;

Sic civium jubes vigere Posteros;

Zittana sic repleas nitore mœnia;

Sic eruditam sustines Lusatiam.

At invidis enim doles afflatibus;

Et virgulam pretii loco censoriam

Expertus, agnoscis graves senum vices?

O te beatum, si relinquitur nihil

Extra Deum, qui solus esse præmium,

Qui solus esse restitutio potest!

Tanta est peres Deum Tui meriti fides;

Ut nolit inquinare terrestri lucro,

Cæleste quod Domini meretur gaudium;

Nec digna forte morbida est hominis manus,

Divina quæ dispenset in Te munera

Ergo

Ergo Tuis gaude, Pater, molestiis,
Futura quem summi manet merces pelli.
Tunc Solis instar, Phosphoro micantior
Splendore vinces invidorum millia.

At cœterum defende carceres Tuos,
Cursusq; pressum porro per stadium explica,
Si meta nunc propinqua dat **VICTORIAM.**
Incumbat Ætheris salus senectui
Jubeatq; temporum Supremus Arbiter
NOVENA sic florere **SEPTENARIA,**
Ut fata, si mutationibus patent,
Mutentur in melius, Tuumq; gaudium
Nostra vel hic tandem spei respondeat.

Sed forsitan quid ominari jam licet,
Contingere isto posse **CLIMACTERICO**
Ut qui marito nec malo nec improbo
Feliciter modo locasti filiam,
Anno cadente nomen agnoscas **AVI,**
Addasq; **MOLLEROS** Tuis **VOGELIIS.**
Si **WEISIANOS** exigis nepotulos,
Qui **NOMINIS** plenam Tui referant notam,
Fac ut Tuo jamjam secunder omine
Precesq; Patris incidant Amoribus
Divina quos mihi probat directio.
Sic pulchra cernet fata **CLIMACTERICUS,**
Juvabit & vicisse **CLIMACTERICUM!**

Ergo

oo*oo